



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. V. Solvuntur objectiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

stum & inhonestum: ergo etiam in appetitu sensitivo independentem à voluntate non potest esse peccatum veniale. Minor probatur: Ut in appetitu sensitivo esset libertas & indifferentia circa rationem honesti & inhonesti, deberet appetitus regulari per iudicium indifferens, in quo videlicet rationes honesti & inhonesti, liciti & illiciti, indifferenter proponeretur [hac quippe de causa appetitus sensitivus habet libertatem contrarietatis circa bonum & malum morale] sed per tale iudicium regulari non potest; nam sicut voluntas per rationem, sic appetitus sensitivus excitatur & regulatur per potentiam cogitativam: sed ratio honesti & inhonesti est extra sphaeram & objectum potentiae cogitativae, nec ab ipsa apprehendi potest; cum enim sit potentia sensitiva, non est nisi de objecto sensibili, quale non est ratio honesti & inhonesti: ergo.

15. Respondent Adversarii, sufficere, quod motus sensualitatis sit à voluntate tanquam movere potente, non tamen tanquam actu movente, quod fit, quando ratio illos quidem motus advertit, & exinde voluntatem constituit in potentia illos motus reprimendi, voluntas tamen actu neque consentit, nec etiam resistit.

Sed contra est primò. Voluntas ut præcisè potens movere, tantum dicit dominium habituale & potentiale, non autem actuale: sed peccatum seu actus moralis ad peccatum non sufficit, præcisè quod voluntas sit potens reprimere motum appetitus sensitivi.

Contra est secundò. Si requiritur advertentia rationis, ad hoc ut motus sensualitatis sit peccatum, tunc etiam voluntatis consensus requiritur. Antecedens per adversarios est verum; ergo & consequens. Sequela probatur: Sicuti potentia cogitativa rationi, sic vis appetitiva in homine subordinatur voluntati: ergo sicuti ad peccandum non sufficit cogitativa sine concursu rationis, ita nec sufficit appetitiva sine concursu voluntatis.

Contra est tertio. Quando voluntas non resistit motibus inordinatis, quibus potest & debet resistere, tunc interpretativè consentit, uti mox dicitur ex instituto: sed juxta Gonetum quando in appetitu sensitivo est peccatum, tunc voluntas potest inordinato ipsius motui resistere, & debet: ergo interpretativè consentit, adeoque nunquam est peccatum in appetitu sensitivo sine interpretativo saltem consensu voluntatis.

16. Replicat Gonet. Istum interpretativum consensum voluntatis non adesse per se formaliter & ex exigentia venialis malitiae, sed tantum per accidens & concomitanter, nimirum ex natura voluntatis, quæ existente cognitione nequit esse suspensa. Sed contra est: quod malitia peccati etiam venialis per se exigit, ut sit voluntaria, moralis, & contrariè libera: atqui ad hoc etiam per se requiritur aliquem consensum voluntatis, vel formalem, vel interpretativum, sufficienter ostensum est: ergo. Præterea. Etiam juxta Gonetum per se requiritur ad malitiam venialem inordinati motus concupiscentiae advertentia rationis: ergo etiam per se requiritur consensus aliquis voluntatis. Consequentia probatur: quia ratio

non est immediata regula appetitus sensitivi, sed rationalis: ergo non nisi mediante consensu voluntatis potest concurrere ad malitiam illius motus.

## §. V.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò auctoritatem S. D. hic a. 3. ad 1. dicentis, *Appetitus sensitivus in nobis prae aliis animalibus habet quandam excellentiam, scilicet quod natus est obedire rationi: & quantum ad hoc potest esse principium actus voluntatis, & per consequens peccati.* Ubi, inquit Gonet, S. D. non recurrit ad actuale influxum, quem voluntas vel ratio in appetitum exercet, sed ad illam excellentiam habitualement, quæ natus est ita in sum objectum tendere, ut tamen valeat cohereri à voluntate. In q. 7. de malo a. 6. *Sensualitas [inquit] quandoque movetur absque imperio rationis & voluntatis, & tunc peccatum dicitur esse in sensualitate: sed tunc peccatum non potest esse mortale, sed veniale tantum.*

Respond ad 1. illam auctoritatem magis obesse, quam favere Adversariis; nam ex illa sequitur, quod propter obedientiam ad rationem, cuius appetitus sensitivus hominis solus est capax, etiam sit principium actus voluntatis: sed hanc obedientiam non habet actu, nisi voluntas imperet; nam certè appetitus sensitivus non est principium actus moraliter boni, nisi propter obedientiam actualem & influxum voluntatis: ergo neque est principium actus moraliter mali nisi dependenter ab imperio vel influxu voluntatis.

Ad 2. Respond. *Id imperium accipi à S. D. in propria & rigorosa significatione, in qua, cum sit actus perfecte deliberatus, præceptiva intimatio & impulsus non tantum veniale sed etiam mortale peccatum causat.* Nos autem loquimur solum de imperfectè deliberato, aut interpretativo etiam imperio & consensu voluntatis, quem S. D. supponit.

Instat Gonet è S. D. q. 25. de Ver. a. 5. ad 5. dicente: *Non dicitur peccatum esse in sensualitate propter interpretativum consensum rationis.*

Respond. S. Doctorem hoc velle, quod ratio, cur peccatum sensualitatis tanquam principio vel subjecto tribuatur, non sit consensus rationis, sed enim potius tribueretur rationi, sed ipsius imperfecta libertas, seu subieciabilitas ad rationem. Ex quo tamen non sequitur, quod ad imputabilitatem malitiae venialis per se nullus requiratur influxus voluntatis, prout ipse insinuat, ad 9. dicens: *quod omne peccatum imputatur homini, in quantum habet voluntatem. & tamen peccatum dicitur esse aliquo modo in illa potentia, cuius actum contingit esse defectum.*

Objicies secundò ex ratione: In illa potentia potest esse peccatum veniale, in qua est libertas, sed appetitus sensitivus propter habitualement conjunctionem cum voluntate habet propriam, quamvis minimam & imperfectam libertatem: ergo propter eandem habitualement conjunctionem potest esse subjectum peccati venialis. Minor est certa S. Doctores in primis hic a. 2. ad 3. dicentis: *Potentia appetitiva interioris comparatur ad rationem quasi libera.* Deinde potentia

via cogitativa & memorativa in homine propter conjunctionem cum ratione participat vim discurrendi circa singularia, ut habet idem S. D. r. p. q. 78. a. 4. in c. ergo similiter appetitiva participat libertatem propter conjunctionem cum voluntate. Tandem subjectum virtutis & vitii debet esse intrinsecè liberum: sed appetitus sensitivus est subjectum virtutis & vitii: ergo. Ex quo

Confirmatur primò. Subjectum virtutis & vitii etiam potest esse subjectum peccati: sed appetitus sensitivus independenter ab actuali influxu voluntatis est subjectum virtutis & vitii: ergo.

Confirmatur secundò. Ad peccatum mortale, quod est perfectum & maximum in genere peccati, requiritur perfecta libertas, quæ est in voluntate: ergo ad veniale quod est minimum in genere peccati, sufficit libertas minima, quæ reperitur in appetitu sensitivo.

19. Respondeo primò. Si quid hæc argumenta, prout etiam autoritates objectæ, probarent, probarent etiam contra Adversarios, quòd motus inordinati concupiscentiæ primò primi præventes rationem & advertentiam, vel etiam contradicente ratione eliciti essent peccata venialia, siquidem procedunt à potentia habente imperfectam libertatem, suntque inordinati: hoc autem repugnat Tridentino, & doctrinæ Adversariorum: ergo.

20. Respondeo secundò. In illa potentia potest esse peccatum, in qua est libertas & indifferentia circa bonum & malum morale, concedo; alia quæcumque, & circa bonum sensibile præcisè, nego. Atqui independenter à voluntatis influxu & regula rationis non dari in appetitu sensitivo libertatem circa bonum & malum morale, utpote constitutum extra spheram & objectum ipsius, constat ex dictis: Unde, concessis probationibus Minoris, quæ solum probant libertatem imperfectam, non autem quod sufficit ad peccatum sine motu & consensu voluntatis:

Ad primam Confirmationem nego min nam virtutes & vicia in appetitu sensitivo non nisi per actus ab intellectu & voluntate regulatos regulantur.

Ad 2. Confirmat. patet ex dictis; nam negatur consequentia: siquidem illa imperfecta libertas sine consensu voluntatis non est circa bonum & malum morale.

## §. VI.

## Corollaria.

21. Colliges ex dictis primò. Imperfectam libertatem appetitus sensitivi maximè in hoc consistere, uti explicat S. D. cit. q. 25. de Verit. quòd

ratio advertens motus in appetitu excitatos ab objecto repræsentato sub ratione delectabilis, illud objectum repræsentet, & applicet pariter potentiam cogitativam & phantasiam ad illud apprehendendum sub ratione objecti tristabilis, quo facto reprimatur motus concupiscentiæ: quævis è vehementia primæ apprehensionis, quæ ut propius & connaturalius, sic fortius influit in appetitum, sæpe contingat, illos motus, etiam ratione in contrarium nitente, continuari: quæ de causâ licet absolute appetitus sit subjectus voluntati, ut averteretur illud objectum, quod ipsi ex impulsu voluntatis ab intellectu tanquam tristabile proponitur: non tamen despoticè, ut vocant, & serviliter subest, sed politicè: quia aliquando fortius trahitur per repræsentationem phantasiæ, quæ objectum ut delectabile proponitur, quàm per repræsentationem intellectus, quæ objectum ut tristabile repræsentatur: ideoque indiget habitibus facilitantibus ad obediendum rationi.

Colliges secundò. Sensualitatem tantum esse se subjectum peccati venialis, non autem mortalis, ut habet S. D. a. 4. Ratio est: quòd illa solum potentia dici potest subjectum peccati mortalis, cui potest attribui deordinatio ab ultimo fine: sed hæc non potest attribui appetitui sensitivo: ergo. Minor probatur: Illi potentiæ non potest attribui deordinatio à fine ultimo, cui non potest attribui ordinatio in finem ultimum; oppositorum enim est commune subjectum: sed ordinare in finem ultimum non pertinet ad appetitum, sed ad rationem: ergo.

Colliges tertio. Causam, cur peccatum veniale motus concupiscentiæ tribuatur appetitui sensitivo, non autem mortale, esse, quia perfecta deliberatione deviare & averti à fine ultimo, est maximè vitium rationis & deliberati consensûs, quantumvis motus ab appetitu sensitivo proveniat: atqui complacentia imperfecta, cum semiplena tantum deliberatione potius est ex vitio sensualitatis, suæ passionis vehementia turbantis rationem, & perfectam advertentiam impediens.

Colliges quartò. In ratione seu intellectu subjectari posse peccatum mortale, ob rationem oppositam. Nam in ea potentia potest esse peccatum mortale, in qua potest esse ordinatio circa finem ultimum, sed hæc potest esse in intellectu, & est defacto, quotiescunque intellectus practicus in voluntate regulanda à debito ultimo fine aberrat: Nihilominus non tantum in regulando potentias inferiores, sed etiam in cognoscendo proprio objecto & veritate nunc leviter, nunc graviter ratio errare potest,

## ARTICULUS III.

## An peccatum morosa delectationis sit in ratione?

## SUMMARI A.

1. Quid sit morosa delectatio?
2. Quid sit ratio superior, & inferior?
3. Morosa delectatio est in ratione dirigente, & inferiori.
4. Objecta solvuntur.

## §. I.

## Prænotanda.

Notandum primò. Morosam delectationem rectè definiri, quòd sit voluntaria delectatio de ali-